



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Semita Perfectionis Purgativa, Illuminativa, Et Unitiva**

**Dirckinck, Johann**

**Coloniae Agrippinae, 1705**

**VD18 15298639**

28. Mansuetudo.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55242](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55242)



do, in vitam eternam custodit eam. Joan.  
C. 12.

*Aspirationes.*

I. *Facite fructus dignos poenitentia.* Matth.  
C. 3.

II. *Da nobis, Domine, ad Te placandum,  
orare impensius; diem luctu transigere; vigi-  
lijs ac fletibus noctes ducere; stratos solo ad-  
harere cineri, in cilicio & sordibus volutari.*  
S. Cyprian. serm. de lapsis.

III. *Anobis ultionem sumamus; ita pla-  
cabitur iudicem.* S. Chrysoft. hom. 41.  
ad pop.

PASSUS XXVIII.

Mansuetudo & Clementia.

TEXTUS.

*Discite à Me, quia mitis sum;  
& invenietis requiem.* Matt.  
C. 11. 27.

*Cognitio.*

**M**ansuetudo seu benignitas est, cum  
propter illatas injurias, mens nequa-  
quam



quam irâ exacerbatur ; nec amaritudo cordis exteriùs indicatur : sed est quasi homo non audiens , & non habens in ore suo redargutiones. S. Alb. in parad. c. 19.

### Actus.

1. Injuriis & contumeliis in nos jactatis filere, nec in exteriorem iræ significationem erumpere.
2. Iram interius cohibere , & variis considerationibus , aptisque mediis frœnare.
3. Cor nostrum ad serenitatem , ac tranquillitatem inducere , ac tandem ipsum inter injurias pacare.
4. Injuriâ nos afficientibus , vultûs serenitate, blandis verbis, & molli sermone respondere.
5. Injuriantibus beneficia libenter imperitare , pro eis orare , & ex animo illis parcere : ac denique injurias oblivioni tradere.

### Consideratio.

Si Dei Optimi Maximi, Christi Redemptoris nostri, aliorumque Sanctorum mansuetudinem admirabilem ob oculos ponamus ; quis hujus virtutis amore non capiatur ? Præsertim si plurima ejusdem commoda quoque perpenderit. Mansuetudo enim



enim I. nos Deo gratos efficit. II. Christianos vel maximè decet, & ornat. III. Naturæ nostræ valde est consentanea. IV. Optimum ad alios gubernandos est instrumentum. V. Medium est efficacissimum, ad animos amicorum pariter & inimicorum conciliandos. VI. Singularem, ad quidvis impetrandum, orationibus nostris efficaciam conciliat. VII. Non parum denique ad carnis tentationes reprimendas, adjuvat. Quis igitur animum non mitiget, ut hæc emolumenta obtineat?

*Petitio.*

Redemptor amantissime, mansuetudinis Magister excellentissime, qui in summis injuriis, velut agnus coram tondente obmutuisti; doce me exemplo tuo, in mentis afflictione non murmurare: mordentes verbo non remordere; in facto amaritudinem non demonstrare; sed quietum animum, ad Dei habitaculum, semper reservare; ut beatorum cœli civium terram possidere merear. Amen.

*Aspirationes.*

I. *Beati mites, quoniam ipse possidebunt terram. Matth. c. 5. 4.*

II. *Creator meus, evelle à me ammirationem, & largire mihi mitem mentis dulcedinem. S. Aug. med. c. 1.*



III. *In mansuetudine opera tua perfice,  
& super hominum gloriam diligere.* Eccli.  
c. 3. 19.

NB. Huc quoque spectat clementia, quæ est virtus, quâ ad moderatè puniendum mitescimus, & pœnas delinquentibus infligendas moderamur. Defectus aliquos, non nimis graves, aliquando dissimulamus, ut graviores caveantur; & ne subditi protervi evadant. In malignos tamen & procaeces severitate utimur, si aliter in officio contineri nequeant. Similiter in eos, qui lædunt bonum commune: dum enim in unum membrum sevimus, in totum corpus clementes nos exhibemus. Intuenda clementia Dei, & Domini nostri JESU Christi prorsus admiranda.

## PASSUS XXIX.

Humilitas.

TEXTUS.

*Discite à Me, qui mitis sum,  
& humilis corde.* Matth.  
c. 11. 27.

Cogni-